



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et  
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -  
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ  
collectus: & usui accommodatus

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066332**

Pars VIII. Erga Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45396**

# EXERCITIORUM

## P A R S VIII.

### Erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum.

#### EXERCITIUM I.

*Christus, in Eucharistiâ omnium bonorum The-  
saurus.*

1. Statue te præsentem Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, atque in eo verè, realiterque præsentem JESUM Christum agnosce, confite-  
re, venerare.

2. Cogita hîc omnes Thesauros, & Officinas bonorum, beneficiorumque Christi, tibi esse ex-  
positas, atque ad hauriendum quantum voles, & præsumes, elocatas.

3. Circui, & perlustra officinas istas, atque thesauros. Hîc est divinitas tota, hîc Humanitas integra: hîc merita omnia, hîc Gratia, hîc Dona, hîc Exempla, hîc Doctrinæ, hîc Virtutes, hîc Auxilia, hîc Amoris excessivi, & indefessi miracula: hîc Dignationes, hîc Sanitates, hîc intercessiones, hîc protectiones, hîc omnia bonorum, divitiarum, beatitudinumque cælestium genera, copia-  
que inexhaustæ.

4. Necessitatem, nuditatem, mendicitatem-  
que tuam omnimodam dispice: infirmitates, mor-  
bositates, vulnera, ulcera, vincula, pericula, stul-  
tias

titias, cæcitates, laqueos, vilitates, ignorantias, peccata, pronitates ad labendum, & pereundum, totiusque miseræ omnimodum statum agnosce.

5. Sume cum omni fiduciâ humili, cumque humilitate fiduciali, omnibus miseriis, necessitatibusque tuis subsidia, quàm copiosissima, ex Sanctissimo isto Sacramento, tanquam ex Gazophylatio, aut ex nundinis, meritoriisque tabernis omni bonorum mercium genere refertissimis. Tibi imputans, ac inter damna reponens, quidquid non hauseris, aut si quid minus hauseris. Ad hoc enim tibi exposita habes, ut tibi liceat haurire, etiam soli, ac uni omnia.

6. Et noli metuere, ne fortè bona ista, hauriente te deficient: tu potiùs metue, & cave, ne hauriendo deficias. Nam iste Thesaurus est maris instar, quod neque effluendo minuitur, neque inflendo redundat: deficient qui ex eo hauriunt, mare autem semper est mare. Sic etiam Solent milleni, & millies, infinitesque milleni oculi respiciunt, ejusque lumen hauriunt: & ipsi luce pleni sunt, & Sol de suo lumine nihil perdit. Idem in aère quo spiramus jugiter videre est.

7. Advoca igitur undique omnes Oreses: cupiditates, fames, avaritias, & eas totas ad hanc seu mercaturam, seu prædam converte. Rape mortis medicinam omnimodam: rape nuditati vestem multiplicem: rape merita, dona, gratias: rape beneficia, rape virtutes, rape dignationes, rape sanguinem, Corpus, Animam, Divinitatem, Personam, rape Charitatem Dei, dilectionem proximi, etiam inimici, rape humilitatem, puritatem, patientiam, mansuetudinem, paupertatem, rape donum Sapientiæ, orationis, contem-

platio-

plationis, fiducia, mortificationis, abnegationis, mundi contemptus, venia peccatorum.

8. Noli ab hoc mercatu recedere nisi plane emas quæ voles, nisi planè cupiditates, ac necessitates omnes exfaties, atque expleas. Solâ hîc cupiditate, & sincerâ bonorum Dei avaritiâ emuntur omnia, tolluntur omnia, obtinentur omnia. Deus enim nullius boni nostri à nobis indignus est. Solâ eum desideria nostra fatiant, explent, & ditant: quantum amas, quantum desideras, quantum famelicis, tantum capis, tantum obtines, tantum hauries.

P R A X I S.

**O** Tremendum, ô augustissimum, ô verè Divinum Sacramentum, in quo sunt omnes thesauri bonorum: universaque substantia Domini mei JESU Christi plenitudo reposita propter me, seposita autem mihi. O quantum hic remedium, quantum subsidium, ineffabilibus, atque innumerabilibus miseriis, & necessitatibus meis reperio! Adeste quæso, adeste, ubi ubi estis omnes cupiditates, atque avaritiæ, & mihi nunc famulemini, ad hauriendas ex hisce ditissimis officinis, apothecis, gazophylaciisque; omnes necessitatum mearum sufficientias, & abundantias. Ah? quam ego cæcus! quam ego piger hætenus fui, qui in tantâ bonorum affluentia miser sui! inter tam parata remedia moribibus: inter tantas opes egenus existi! ô jam aude animè, jam quantum potes tantum aude: quantum audes, tantum habes. Dilatare, ampliare, distendere in omnes partes, in omnes capacitates, atque vastitates, te converte. O cor meum, jam cape, & hauri, jam rapinas age, & exsatia te: jam egestates tuas exple, & exsatura. Hæc enim est Voluntas Boni JESU: hæc est hora tua: hæc est occasio & dies

V. P. Druzb. Op. V. Q *bona*

*Handwritten notes in the right margin:*  
 = Druzb.  
 Sicut  
 r: usque  
 II  
 V  
 5

*bona: hic avaritias omnes, exercere, hic accelerare, hic prædari, hic spolia detrahare licet, modò libet quantum enim libet, tantum licet.*

## EXERCITIUM II.

*Christus in SS. Sacr. colendus, quomodo  
Dei Matre cultus.*

1. **S**Tatue te coram SS. Eucharistiæ Sacramento, atque in eo JESUM Christum DEUM Hominem realiter præsentem agnosce, confitere, venerare.

2. Ad id pleniùs, digniusque præstandum, ascisce tibi in auxilium, & in exemplum Pretiosissimam Dei Hominis genitricem, ut quo affectu illa, (fidei, spei, charitatis, devotionis, reverentiæ, gratitudinis, teneritudinis, &c.) Deum in carne præsentem coluit, eodem quoque tu, tam in substantiâ, eundem Deum, in eadem carne realiter, esto invisibiliter præsentem colas.

3. Coluit Pretiosissima Parens JESUM in suis visceribus, manentem, coluit ex se genitum, in præsepio reclinatum, in ulnis & sinu suo positum, ad ubera pendentem; coluit secum ad annum ætatis trigesimum manentem, sibi que subditum, coluit docentem, miracula patrantem, in Sacramento Eucharistiæ sese includentem, & offerentem: coluit patientem, in cruce pedentem, mortuum, in sepulchro positum, à morte redivivum: coluit in dexterâ Patris super cælos confidentem: coluit in Sacrificio altaris per manus discipulorum immolatum: coluit in Sacramento Eucharistiæ illum recipiens: coluit in horâ suâ in cælum Assumptionis sibi occurrentem, seque

Angelorum choros exaltantem: colit nunc  
in calis secum regnantem, & in terris sese  
nostro ministerio super altare sacrificantem, no-  
isque in cibum, & potum, & viaticum sese ex-  
bentem, atque etiam inter nos Sacramentali-  
ter habitantem.

4. Hos omnes Pretiosissimæ Parentis cultus  
facite tu, & exhibere JESU Christo in Sacratissi-  
mo Sacramento consuesce: in omnibus enim  
circumstantiis, suo modo JESUS tuus, sese tibi  
communicat: tantò etiam familiariùs, simpli-  
tèr, dignantiùs, quantò & tua à puritate, ab ex-  
cellentiâ, à devotione, à prærogativis Matris  
distas remotiùs: & ipse Dominus JESUS  
tibi per hoc Sacramentum, sacrificiùmque  
communicatione, gerit se humiliùs, atque  
missiùs.

5. Institue comparationem Dignationum  
Christi, erga Matrem, & erga Te. Conceptus  
Matre semel: conceptus à te millies: latuit in  
Matris viscere novem mensibus: latitat in tuis  
visceribus ab omnibus tui Sacerdotii annis.  
Lactavit illa genitum ex se: te lactat ille geni-  
tus: illa eum pavit, ille te pascit. Mater habuit  
obditum JESUM: habes & tu obedientiam lon-  
gè promptiùs, & mirabiliùs. Mater Filium ma-  
nus gestabat: tractas & tu eundem manibus  
tuis. Osculabatur illa filium, tu illum, etiam  
manducas. Josepho illa, Simeoni seni, Annæ  
prophetissæ, & aliis paucis JESUM tractandum  
habat: tu eundem, (fructum etiam consecra-  
tionis, tanquam generationis tuæ) aliis, & tra-  
ctandum, & adorandum, & manducandum præ-  
stas, atque offers. Maria Mater filium JESUM

Q 2 solâ

Handwritten notes on the right edge of the page, including the word "Sicut" and other illegible scribbles.

solâ Voluntate Patri ad redemptionem Mundi obtulit; tu verò reali, patriâ, Divinâ, seu Patris æterni (penè dixerim) potestate, ipsi æterno Patri immolas: Christi etiam ipsius sese immolantis personam sustines: quod Matri aliquando licuisse, non legimus.

6. Ergo exardesce maternis affectuum ignibus: maternis quoque Virtutum actibus, Jesum in Eucharistiâ venerare.

### P R A X I S.

**J**ESU, in Sacratissimo, Augustissimoque Sacramento præsens, assumo mihi ad amorem, ad venerationem, ad exaltationem tui, Pretiosissimæ Parentuæ affectus omnes, & singulos. O si eos adæquari imitando possèm: & omnes illos, ipsius instar ex te profundere! fateor certe mi Jesu, me Tibi, etiam majorum in te affectuum esse debitorem, quàm Sacratissimæ tuæ Mater fuit: quippe majoribus me dignatus es, dignariisque per misericordiam tuam dignationibus, atque miserationibus. O Mater, tu mihi concede lumen intellectus tui: concede mihi flammam voluntatis tuæ, ut respondeam profusissimis Filii super me misericordiis.

### EXERCITIUM III.

*Christus in Euchar. colendus ad Exemplum Angelorum.*

1. **S**Tatue te coram Sanctissimo Eucharistico Sacramento: & in eo JESUM Christum Deum Hominem realiter præsentem agnosce, confitere, venerare.

2. Ad hoc digniùs præstandum, assume tibi

omnes Sanctorum Angelorum Ordines in auxilium, atque in Exemplum. Stupent enim Sancti omnes, atque etiam sancte invident mortali-  
 bus, tam mirificam Dei-Hominis dignationem, quam ille vilissimis, ac ingratis vermiculis, in Sacramento Altaris exhibet. Et hoc nomine habentius, frequentiusque terras visitant, inter nos morantur, nos custodiunt, fovent, æstimant. Unde Angeli Sacerdotum frequenter sacrificantium, aliorumque frequenter, communicantium, custodes; habent hoc inter speciales suas prærogativas, consolationesque; quod per occasionem, quas custodiunt animarum, crebrius, & quidem de vicino, & quasi suo quodam jure Sanctissimum Sacramentum, spectare, habere, venerari, tanquam in thalamis, in cubiculis, in vasculis, in ferculis possunt.

3. Ergo Angeli, semper vident faciem Patris: tu autem & vides per fidem non minus visione certam, esto non claram: & manducas per realem sumptionem: & immolas per veram in Personâ Christi oblationem.

4. ARCHANGELI, nunciârunt Christi Incarnationem, Nativitatem, Resurrectionem, Ascensionem, Reditum ad Judicium: Tu illum incarnari, Nasci, Mori, Resurgere, Ascendere, ad ruinam peccatorum, ad resurrectionem virtutum venire, facis ad te, ad alios, & facis toties, quoties libet.

5. VIRTUTES, operantur mira pro DEI gloria, & nostrâ in eum veneratione promovendâ, confirmandâque: quanta miracula non operatur Sacerdos, dum Sacrificat, dum Sacramentum conficit, dum Sacramentum sumit!

Q 3

Nulla

Handwritten notes in the right margin, including the word "Druze" and other illegible characters.



Nulla cælestis Virtus, ac nequidem simul omnes præsentem  
sufficiunt, ad unum Eucharistici Sacramenti, exercendum  
crificiique miraculum patrandum. Cessent Verò Sacramentum  
tutum miracula: quod misellus homo manducet quam m  
cet DEUM suum; hoc miraculorum miraculæ potentia  
lum est: quòd verò eum præsentem in Sacramentum omnium  
mento faciat, & habeat; hoc nulli Virtutum vincit, qu  
concessum est. potest, h  
iplo est.

6. PRINCIPATUS, sunt capita Servorum, 8. DO  
stantium coram Domino semper, sunt imagines Domini  
nes originationis Divinæ, sunt legumlatores, & tum Dor  
que Decretores justitiæ: Confer hæc cum sacerdoti concredi  
cerdotali Principatu. Sacerdos est origo, ad confic  
Pater DEI: legem fert legum fonti: in hoc se runt quic  
vit Deo, colitque Deum, quòd imperet DEO & exerce  
quòd formet Deum: quòd Sacrificium sum dem Deo  
faciat Deum: quid tale vel per umbram cælesti Dominat  
bùs competit Principatibus? Et hi qui Sacramentum sumunt; principium omnis boni, omni 9. TH  
nis meriti, omnis gratiæ; omnis justitiæ, omnis rectitudinis  
beatitudinis, atque gloriæ sumunt. Est enim Decretor  
Eucharistia, sedes legum omnium, Magisterium quid est,  
charitatis, Obedientiæ primatus, Vertex imperii Thronus  
Nutrimentum æternitatis, Resurrectionis (id est Deum &  
secundæ ac indebitæ alias originis) pignus, se hoc exig  
men vitæ æternæ, gustus beatitudinis. His de depositis  
nis, Principatus Angelici esto non egeant, atque vatis, &  
men ex hoc tali fonte principioque illa non deunt de  
habent. tam, statu  
nem, in  
verè? an  
manifesti  
& admo  
fic de Pa  
ducat, &  
præ-

7. POTESTATES, Ministri sunt omnipotentia DEI, bajulique illius; Monstrantes Deum posse omnia, etiam illa quæ non vult Equidem ambigo; an Sacerdotalem Potestatem repræsentent Potestates Angelicæ; sed re-

presentent; non tamen eam in potestate ad ex-  
ercendum habent: at Sacerdotes habent. Qui  
verò Sacramentum hoc manducant; quid aliud  
quàm miracula, & excessum, & abyssum Omni-  
potentiæ Dei manducant; Cibus Eucharisticus  
omnium possibilium in hoc magnitudinem  
vincit, quia, quod in possibilibus tantum esse  
potest, hoc in Eucharistiâ, etiam reipsâ, & actu  
ipso est.

8. DOMINATIONES, servant suum absolu-  
tum Dominum DEO; at quibus Eucharistia  
concredita est ad manducandum, ad habendum,  
ad conficiendum, ad immolandum; hi, & asse-  
runt quidem Dominum Deo, sed etiam asserunt  
& exercent Dominum in Deum: serviunt qui-  
dem Deo, sed dominando Deo: quod nulli ex  
Dominacionibus licet.

9. THRONI, sedes sunt æquitatis Divinæ:  
rectitudinis domicilia, justitiæ spectacula, serinia  
Decretorum. Eucharistia nostra, ô mortales!  
quid est, si hoc non est? quid inquam est, si  
Thronus non est, ad æqualitatem deducens  
Deum & Hominem, nec non jura utriusque,  
hoc exigentibus Christi meritis, in Eucharistiâ  
depositis, in Sacrificio representatis, imò inno-  
vatis, & in manducante collocatis. Unde pro-  
deunt decreta Divina in salutem, placita in vi-  
tam, statuta in gratiam, in amicitiam, in possessio-  
nem, in beatitudinem sempiternam. Quid  
verè? an non etiam Eucharisticum Thronum  
manifestat illud, quod Paulus, & indicat,  
& admonet: Probet autem seipsum homo, &  
sic de Pane illo manducet: qui enim man-  
ducat, & bibit indigne, judicium, sibi manducatur,  
& bibit

Q 4

& bi-

Handwritten notes on the right edge of the page, including the word "Druze" and other illegible scribbles.

& bibit, non dijudicans Corpus Domini  
&c.

10. CHERUBINI, Lux sunt Dei, sapientiaque illius imagines. Nôrunt quid, & quis sit Deus. Qui Eucharistiam tractant, conficiunt, sumunt, habent, Cherubini sunt: & plusquam Cherubini. In lumine vident lumen. Gustant, & manducant, & bibunt, & vident, quàm suavis est Dominus, quàm multa dulcedo abscondita sit in Manna novo. Gustum Dei habent, & quidem ad salutem, amicti sunt liminis sicut vestimento, faginati Cibo Sapientia salutaris tanquam nutrimento. Cherubini ex natura dono sapientes sunt, fruente autem Eucharistia ex manducatione Dei Sacramentali, Sapientiam hauriunt: illis fons natura: his Gratia: & admirabilis quidem & ineffabilis, & plusquam Cherubica Gratia.

11. SERAPHINI, sic ideo dicti sunt, quia non tam ardere Charitate, quàm ipse Ardor Charitatis esse videntur; hoc tantò veriùs, quantò & mirabiliùs in eos quadrat, quibus Eucharistia, & Sacrificium, & Cibus est. Deus enim noster, ignis est, & Charitas est: qui ergo vescitur Deo, isto utique igne, & Charitate vescitur: quidni ergo Seraphim efficiatur? Seraphini creantur ad Amorem: qui autem Eucharistiam sumunt, faginantur Amore: illis Ardor Natura, his cibus, utrisque erga substantia: ambigas quibus felicior: illis quidem securior, istis mirabilior. Ergo ardendum, ergo ignescendum, ergo conflagrandum est omnibus, quicumque de Dei æterni igne consumente, de Charitate flammefcente nutriuntur. O mî Deus (liceat sic, ad modum

modum  
tui, Seraphim  
tuâ, tra  
ipsâ igni  
tui, ipsâ  
infarcis,  
nec dum  
pudor, &  
inquam  
frigore p  
siderandi  
tanquam  
tanquam  
naturalit  
licitum?  
ignis Cha  
absumen  
vel omni  
omnibus

JESU in  
ster,  
gratia pl  
rum, Arch  
patuum,  
rum, Ser  
adoro, v  
me super  
gelorum,  
ministeriu

modum nostri esse, loqui;) ut tantum visione  
 tui, Seraphinos tuos pascis, & ardent Charitate  
 tuâ, transeuntque in flammeos ardores: nos  
 ipsâ ignis tui Divini medullâ, ipso flore incendiî  
 tui, ipsâ substantiâ Charitatis tuæ pascis, nutris  
 infarcis, faginas; & heu! nec dum ardemus,  
 nec dum in ignem transimus! Imò, ipso (pro  
 pudor, & dolor, & miraculum frigoris!) adhuc,  
 inquam, ipso gelu rigidiores sumus: ipsoque  
 frigore plus frigemus. Libet hoc insuper con-  
 siderandum addere; Seraphini amant DEUM;  
 tanquam factorem suum: Sacrificantes amant  
 tanquam parentes prolem; nunqui non con-  
 naturaliter? Numquid Seraphinis hoc modo  
 licitum? O vivax flamma, Deus meus, ô vorax  
 ignis Charitas æterna, tandem evince me, tandem  
 absolve me, tamen transflamma me, ut ardeam,  
 vel omnibus Seraphinis plus, unus, ac solus, cum  
 omnibus tamen, & non unus, nec solus.

## P R A X I S.

IESU in Sanctissimo Sacramento præsens, Cibus no-  
 ster, potusque Salutaris, gloriæ pignus futurae,  
 gratia plenus præsentis: Te ego omnium Angelo-  
 rum, Archangelorum, Virtutum, Potestatem, Princi-  
 patuum, Dominationum, Thronorum, Cherubino-  
 rum, Seraphinorum, affectu, spiritu, viribus, amo,  
 adoro, veneror, exalto, &c. Quoniam exaltasti  
 me super omnes Spiritus, super omnes Choros An-  
 gelorum, per tui Sanctissimi Sacramenti Sacrificiique  
 ministerium, usum, & fructum.

Qs

EXER-

Handwritten notes on the right edge of the page, including the word "Druz" and other illegible characters.

## EXERCITIUM IV,

*Christus in Euchar. colendus ad Exemplar  
SS. omnium.*

1. **S**tatue te coram Sanctissimo Altaris Sacramento: ac in eo DEUM Hominem vere realiterque presentem, agnosce, confitere, venerare.

2. Intuere illum in Sanctissimo Sacramento, quasi Monarcham Monacharum, Regemque Regum, super solium excelsum, & elevatum, cujus Majestate admirabili repletur terra universa, cui *millia millium ministrant, & decies centena millia assistunt*: coram quo *24. seniores assurgentes procidunt in facies suas, & Coronas capitibus suis detractas, supponunt pedibus ejus: & turbamagna ex omnibus gentibus, & tribubus collectam, quam dinumerare nemo potest, ei sese reverentissime submittit, canens ei laudes in sæcula sæculorum.*

*Dan. 7. 10.*

*Apoc. 7. 9.*

3. Audi hunc universum Sanctorum cœtum, ex lege Naturæ, Scriptæ, Gratiæ, ac demum Gloriæ collectum: succlamantem die ac nocte coram Sanctissimo Sacramento, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est omnis terra gloriâ ejus.

4. Immisce te huic turbæ, cætibuscumque ac Choris Sanctorum: nunc quidem his, nunc vero illis: atque quod ab eis videris fieri, & tu fac: cum adorantibus adora, cum procidentibus procide, cum stupefcentibus stupefice, cum agentibus gratias, gratias age, cum admirantibus admirare, cum exultantibus exulta, cum exaltantibus exalta, cum amantibus ama,

eum ard  
liquefce  
bus jubi  
lentibu  
rore, file  
tibus ca  
Sanctus  
erat, &  
vit Dom  
exultem  
gnificatu  
sentiâ,  
dignatio  
5. Si  
tium Sar  
ardescas  
Sanctissi  
Gymnal  
emplari  
& confu  
erga Dig  
Theatru  
tione Sar  
mentali  
fectis,  
at frequ  
quantum  
trum Mu  
mitatus,  
JESU in  
atque  
Throno r

eum ardescentibus ardesce, cum liquefcentibus liquefces, cum fruuentibus fruiere, cum jubilantibus juba, cum dilaudantibus dilauda, cum silentibus præveneratione & majestatis sacro horrore, file tu quoque & contremisce: cum canentibus cane, atque repete: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus noster, qui est, & qui erat, & occisus est: Alleluja: quoniam regnavit Dominus Deus omnipotens. Gaudeamus, exultemus, & demus gloriam ei: quoniam magnificatus est vehementer in Sacramentali præfentiâ, in Eucharisticâ Majestate, in Sacrificiali dignatione.

¶ Sit tibi hoc spectaculum atque confortium Sanctorum, veluti clibanus incensus, in quo ardeas Seraphicis ardoribus, & amoribus erga Sanctissimum Sacramentum: sit tibi veluti Gymnasium, in quo ab omnium Sanctorum exemplari, & vivo practicoque magisterio discas, & consuescas, exercere omnis generis affectus erga Dignissimum Sacramentum, sit tibi veluti Theatrum, in quo imitatione, ac etiam associatione Sanctorum, dignos Deo, in throno Sacramentali residente, actûs, affectûs, spiritûs, profectûs, conatûsque exhibeas: si non assidue, at frequentatissimè, & infatigabiliter, atque quantum prævaleas incessabiliter. Est tibi Theatrum Mundus, spectator Deus, exemplar & comitatus, omnis Sanctorum cætus.

*P R A X I S.*

*JESU in Sanctissimo Altaris Sacramento præsens, atque in eo tanquam in excelsa Majestatis tuæ Throno residens, excelsus, & elevatus, omniumque*  
San-

Handwritten notes on the right edge of the page, including the word "Dru" and other illegible characters.

*Sanctorum tuorum gloria circumdatus. Te cum omnibus illis atque singulis laudo, magnifico, adoro, veneror, admiror, amo, exalto, glorifico, insuperque etiam desidero, percipio, sumo, & manduco. In conspectu, & comitatu Sanctorum tuorum omnium, omnia ossa mea, & omnis capacitas spiritus, substantiaque mea, & totus ego, tibi laudes, & gratiarum actiones occino, dicens, ac repetens, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.*

## EXERCITIUM V.

*Christus in Euchar. triumphandus, veluti amore vincus.*

1. **S**tatue te coram Sanctissimo Altaris Sacramento: & in eo IESUM Christum Deum Hominem, vere realiterque, presentem agnosce, confitere, venerare.

2. Intuere illum in Eucharisticis speciebus conclusum, tanquam Captivum, Vincum, Catenatum, & Triumphatum. Captivavit enim illum 1. Amor nostri. 2. Humilitas, & Dignatio Deo digna. 3. Obedientia, alligata ad vocem, nutumque Hominis consecrantis. 4. Captivavit illum unio Hypostatica, Humanitatem Divinitati, & hanc illi adglutinans, & veluti in carcerans, certe incarnans, & Deum Hominem constituens. 5. Captivavit illum Sacrificii admirabilis ineffabile Mysterium. 6. Captivavit Sacramenti Eucharistici immensa Dignatio. 7. Captivavit stupenda, & nulli præter homines mortales, etiam nec ipsis Angelis, concessa in cibum & potum exhibitio atque traditio. 8. Captivavit denique hæc Specierum Sacramentalium

limi-

limitatio, atque ad earum durationem, præsentiamque alligata præsentia.

3. Totis viribus Spiritus tui exulta, non secus ac solent exultare victores captâ prædâ: exulta inquam, de hoc catenato, captivato, vincetoque Deo IESU tuo: atque etiam tuæ illi Charitatis, dilectionis, inhæſionis, immersionis, laudis, insultationis, complectionis, comprehensionis, manducationis, inviscerationis vincula injice.

4. Noli insipienter misereri captivi hujus, neque sortem hanc ejus miserare: Etenim hæc captivitas illi millies est gratior, & optatior, quam celestis Gloriæ libertas: ambit illam, capit illam, mercatur illam, emendicat illam: fameſcit, & languet sine illâ: & quasi miser esset, aut futurus esset sine illâ sic tabeſcit sine illâ.

5. Proinde non ei parcat oculus tuus, sed potius aggrava compedes ejus, adjice catenas illi, vincula multiplica, circumduc captivum, age catenatum in triumphum. Sic spectari amat IESUS, nec ulla illi in hoc mundo, in hac Ecclesiâ, in Animabus justis, pompa gratior, nulla ad mentem magis.

6. Congaude ergo: & tibi quidem, quod istum vincetum insignem habeas: & illi simul, quod in hæc vincula Charitatis, Dignationisque suæ devenerit. Crede quod illum nec pæniteat, nec tædeat sortis hujus, quam sponte delegit, & voluntariè diligit. Præfert hunc statum etiam celesti: dummodò non desint, qui triumphant illum, qui captivum teneant, diligant, visitent, quique captivo vincula etiam adjiciant.

7. Hæc igitur sit una cura tua, huic vinceto adesse: ad hunc ejus speciosum carcerem excubare:

nova

Handwritten notes on the right edge of the page, including the word "Druy" and other illegible characters.



nova, & nova, alia, & alia vincula injicere: no-  
 vas & novas ex eo prædas agere: alios & alios  
 ex eo triumphos Charitatis ducere: aliis & aliis  
 eum carceribus includere. Nunc quidem in  
 Sacrificio immolando, nunc in Sacramento,  
 realiter sacramentaliterque manducando, nunc  
 spiritualiter eundem in fame dilectionis, ad  
 viscera devotionis adtrahendo, & admittendo:  
 nunc eum revisendo latentem: salutando con-  
 clusum: adeundo, adorando, morantem, & ex-  
 pectantem: nunc cum illo, corde, & spiritu,  
 nunc etiam corpore, & oculis versando: nunc  
 eum manibus tractando, nunc aliis spectaculum  
 faciendo, in cibumvé porrigendo.

8. Cave, ne fatigeris in hac occupatione:  
 vide excutias omnem ignaviam: attende, ne te  
 effugiat negligentem hæc præda, ne tanta felici-  
 tatis occasio elabatur. Captivus hic, fervore  
 tenetur: assiduitate conversationis ligatur: fire-  
 mittis elabatur: imò fortè jam elapsus est.

### P R A X I S.

**J**ESU, in salvifico atque sacratissimo Altaris Sa-  
 cramento præsens: Te ego hic captivum, &  
 agnosco, & gaudeo, & teneo, non secus quàm gau-  
 dere solent victores captâ præda. O nobilis sanctæ  
 præda! ô insignis certè vinctus! ô fortis omnino  
 Animarum prædator JESUS! Captus est Amore no-  
 stri! vinculis Charitatis nostræ, pedicis dignationis  
 suæ, catenis obedientiæ propriæ. Ligatus est com-  
 pedibus specierum, captus est retibus amantium  
 Animarum, conclusus est in carceres viscerum &  
 cordium, tenetur in altaribus intrâ conditoria  
 templorum, pixidum, atque ferculorum. O Ant-

ma mea, Exulta, & gaude tibi de vinculo isto; ex-  
 cuba ad carceres ejus: aggredere & accumula vin-  
 cula illius: adice compedes illi, exerat pes tuus  
 limen habitationis ejus: spolia illum, & thesauros  
 ejus diripe: imò etiam ut tutius habeas prædam  
 istam, in visceribus imis cordis corporisque reconde:  
 denique his omnibus adice illud, ut te cum illo con-  
 stringas, & iisdem cum eo vinculis communices:  
 tu captiva illius, vincita, incarcerata, illius: ille-  
 que vicissim tuus. Pulchrum, & rarum certamen,  
 spectaculumque, ac vix aliud Divinis oculis gratius:  
 quando Anima vincitum tenet JESUM, & Animam  
 vincitam tenet JESUS. Gloriosa conditio triumphare  
 de JESU, triumphari ab JESU: triumphare de Ani-  
 mâ, triumphari ab Animâ JESUM. Hos triumphos  
 mutuos age, & exhibe Cælis, ô Anima, &c.

## EXERCITIUM VI.

*Christus in Eucharistiâ, tanquam in Cælo  
 Empyreo.*

1. Statue te coram Sanctissimo Altaris Sacra-  
 mento: & in eo JESUM Christum Deum  
 Hominem, vere, realiterque præsentem, agno-  
 sce, confitere, venerare.

2. Aspice illum, in Eucharisticis speciebus  
 commorantem, tanquam in Empyreo Cælo,  
 tanquam in Cælo Cælorum, tanquam in Divinæ  
 Beatitudinis quodam seu compendio, seu si-  
 mulachro, seu profluvio, excessuque. Tenebras  
 revera posuit latibulum suum Deus in hoc Sa-  
 cramento. Fruitur etiam Deus in hoc arcano,  
 seipso: non tantum secundum Divinitatem suam  
 totam, plenitudinemque Divinam, verum etiam  
 secun-

Handwritten notes on the right edge of the page, including the word "Sicut" and other illegible characters.

secundum universam Humanitatem assumptam: cui etiam hic quoddam esse Divinum communicat: ut etiam quoad corpoream substantiam, indivisibiliter sit totus ubique, & totus, in qualibet specierum parte. Hic est ille multipliciter unus, & uniter (seu salvâ unitate) multiplex. Hic est Deus non tantum speculum, sed etiam ferculum, ac poculum voluntarium, in quo somnietur ab justis prout ipse vult. In cælo, ducit Sanctos ad vitæ fontes aquarum, hic in Eucharistiâ ipse fons Vitæ venit ad ora & corda justorum. Ibi dicit, *comedite Amici, & bibite, & inebriamini charissimi*: hinc dicit, *accipite, & manducate, qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Ibi pascit electos visione, hinc manducatione: Ibi Sanctus nunc pascit solâ Divinitate, hic etiam Humanitate: nam carne & sanguine, meritis & gratiâ: adeo ut quod Sancti ex Deitate tantum, hoc justis ex Humanitate etiam consequantur: scilicet Vitam æternam. Ibi Beati, securi sunt de possessione Dei æternali, hinc justis, ex vi quidem, & naturâ manducationis, quâ Deum sumunt in Sacramento, eo modo, & in eo statu, atque gradu habendi Deum habent: ut eum nec securius habere, nec eo intimius, secretius, que frui, nec eum plenius possidere, nec absolutius comprehendere, quoad substantiam ipsam rei valeant. Nam quo intimius abundant recordantque Deum, quam in ima viscera corporis & cordis? quam translatis in ejus substantiam, quam cum eo tanquam cera cum aliâ cerâ liquefactâ commixti?

3. Admirare, æstima, frequenter, gratulare hoc Cælum Dei tui & Deo tuo. Revera enim

*Cent. 5. 1.*

... tale est, quod Angeli, quod Beati invident; quod Ecclesia triumphans militanti gratulatur; quo militans triumphanti comparatur: in quo Deus, novo, & miro modo beatificatur: alio scilicet quàm in seipso, alio quàm in Beatis, alio quàm in Hypostatica unione: Sacramentali nimirum cum Animabus unitione: in quâ cibus, manducantem se, convertit in se, & simul tamen ad omne id, ad quod digne manducans vult, sese, meliùs quàm manna, convertens.

4. Adi frequenter hoc Cælum: & Deum in hoc Cælo visita: saluta, contemplare, lauda, cum illo morare, colloquere, consulta, conclude: si non potes omnino, & semper corporali præsentia, saltem Animi recordatione, & cordis desiderio, atque reverentiâ.

5. Quoties ad locum reconditæ Eucharistiæ accedis, vel visitaturus, vel sacrificaturus, vel communicaturus, ipsimet tibi, vel aliis; taliter accede; ut videaris accedere ad Deitatis sedem, ad locum deliciarum Dei, ad spectaculum consortiumque deliciantis Jesu.

6. Exprime in te, quoad licebit, affectûs Beatorum, ut quos illi in Empyreo cælo, hos tu in cælo isto Eucharistico exerceas: iisque ardeas in Deum præsentem tibi, in Sacramento, potissimum à te suscepto, recenterque adhuc in te moranti.

1. Beati in Cælo suo toti sunt in Deum defixi, transformati, deificati: talis & tu in hoc Eucharistico cælo fac evadas, & fias. 2. Beati flagrant Charitate Dei, summi Boni in se, & sibi: ardescas & tu instar Seraphini: cibus enim quo pascaris, ignis est. 3. Beati in seipsis stupent, & quasi extra se positi admirantes hæ-

Handwritten notes on the right edge of the page, including the name 'Druz' and other illegible scribbles.



rent in contemplatione Plenitudinis immensa,  
 & immensitatis plenissimæ Divinæ: fias & tu  
 extra te, præ admiratione plenitudinis Eucharis-  
 tica, in tantum compendium redactæ. 4. Beati  
 securitatem suam non capiunt, eam licet habentes:  
 & tu coram Deo positus, magis etiam Deo  
 passus, securus quiesce, in requie adeo opulenta.  
 5. Beatis gaudium est super uno justo ad calum  
 veniente: ne dubita & tu, gaudium te facere  
 Beatis, te ad Eucharistiam sive salutandam, &  
 adorandam, sive manducandam, sive aliis  
 communicandam, sive in Sacrificio immolan-  
 dam accedente. 6. Beati immensâ lætitiâ  
 gestiunt, & gratulationibus diffunduntur,  
 quando numerum Beatorum in cælo crescere  
 vident: & tunc dicunt Animæ illi; ô beata que  
 credidisti: vel: Ave Anima, gratiâ plena, Do-  
 minus tecum, benedicta tu in Animabus: Con-  
 similiter etiam iidem Beati, videntes Animam  
 justam, Sanctissimo sese Sacramento sive spiri-  
 tualiter tantum, sive sacramentaliter simul sagi-  
 nantem, ei adgratulantur. 7. Animam Beatam  
 tota Sanctissima Trinitas amplectitur, intra, ab-  
 sorbet, beatitudine replet, deificat, Animâ vicif-  
 sim totâ se Deum hauriente, atque dicente,  
*Luc. 1. 45. magnificat Anima mea Dominum;* Pari ratione,  
 Animam Sacramento Eucharistico passam, vel  
 præsentem, eadem Sanctissima Trinitas, quin &  
 Christi Humanitas amplectitur, & ingreditur,  
 sanctificat, & gratiâ, meritisque replet, de eâ sibi  
 gratulatur, in eâ sibi complacet, coram Beatis  
 de eâ gloriatur, eam Beatorum curæ, protectio-  
 ni, amori, favoribusque commendat, ostendens  
 sibi gratum, si specialiter à Sanctis foveatur.

Inspirat illi  
 familiarita-  
 tem, & Se-  
 Neque A-  
 quanta q-  
 it; Bene-  
 gaudens g-  
 quia fecit r-  
 7. Ad  
 tu Sanct-  
 labora.

ESU, qu-  
 ram nos  
 oriosumq-  
 bis adeo  
 deo vicini-  
 ne semper  
 tiosissimè  
 um, ô dul-  
 cena mag-  
 nam milit-  
 bis tuis a-  
 cant justi E-  
 ginantur e-

EX  
 Christu.

Statue  
 Sacra-  
 Deum Ho-  
 sanfitere, v-  
 Inspi-

Inspirat illi fiduciam, Animositatem, modestiam, familiaritatem, reverentiam, charitatem cordialem, & Seraphicam, totamque suo Spiritu replet: Neque Anima, si sapit, officio deest: sed tota quanta quanta est, ingeminat, magnificat, repetit; *Benedictus Dominus: insonat; ego autem gaudeo, & exultabo in Deo Jesu meo, quia fecit mihi magna, &c.* *Habac. 3. 12.*

7. Ad talem Animæ statum, cultu, & fructu Sanctissimi Sacramenti, ut pervenias adlabora.

P R A X I S.

JESU, qui in Sanctissimo Sacramento, super terram nostram, cælum tibi gratiosum, deliciosum, gloriosumque constituis; Gratulor tibi cælum hoc, tibi adeo inclinatum: Gratulor & cælo huic te adeo vicinum. O si tecum mi Jesu in cælo isto, si semper & assiduo, at sæpè, at creberrimè, at gloriosissimè morari, & perennare liceat. O beatissime, ô dulce, ô Admirabile Cælum Eucharisticum! cæna magna, quæ omnibus electis sufficit: quæ militantem Ecclesiam reficis! O utinam contentis tuis associer! non est, aut, vix est, quod invitantur justis Beatis in cælis, qui hic etiam adeo lautis regnantur epulis, in Eucharisticis cenis, &c.

EXERCITIUM VII.

*Christus in Eucharistiâ ut Artifex peritissimus.*

Statue te coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: & in eo Jesum Christum Deum Hominem realiter præsentem agnosce, confitere, venerare.

R 2

2. Co-

Handwritten notes in the right margin, including the word "Sicut" and other illegible characters.

2. Cogita hic Dominum JESUM esse, ac refidere tanquam omniscium Artificem, operatoremque: cupidum, paratumque ex quacunque materiâ, seu massâ, efficere opera, seu vasa perfecta, consummata, & omni usui apta in honorem.

*Rom. 9. 21.* 3. Habes ejus rei luculenta Scripturæ testimonia. *Jo. 1. 2.* *Domine. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil.* *Philip. 2. 11.* *Ipsè operatur in nobis, & velle, & perficere pro bonâ suâ voluntate. Sine me nihil potestis facere. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: reficiam si lassè, reficiam si mali facti, reficiam si corrupti, reficiam si infecti, reficiam si imperfecti estis.*

*Jo. 15. 5.* *Atque has ille voces specialiter in Sacramento Eucharistiæ usurpat: quia hujus operationis potissimum gratiâ, inibi mansionem suam locat.*

4. Cogita ergo, (te, tuos etiam omnes quoslibet & creaturas quaslibet) esse materiam, massamque planè rudem, informem, nulli usui, nulli operi idoneam, quantum ex se; sed penitus indigentem, operæ, & industriæ alienæ (neque ullius alterius præterquam Christi JESU) ad hoc; ut in qualemcunque usum aptetur, accommodeturque.

5. Et sunt quidem complures Artifices, ac operarii, qui se facillè obtrudunt ad operandum, & efficiendum aliquid ex te, & in te: qualis est Caro, Mundus, Diabolus, Amor tuus proprius, concupiscentia mala abstrahens, & illiciens, consuetudo mala, Exemplum pravum: hi tamen esto se vocent artifices, minimè ii sunt, sed potius destructores, & corruptores operum, bene-

aliàs à m  
est in ex  
improbi  
apificat  
contumel

6. D  
jusnam  
borandu  
opus, in  
conform  
videtur  
ipsum Sa  
te in ma  
Scientiæ  
ex infor  
fingat,  
suum: f  
beat ad i  
verò tua

7. Si  
humiliat  
manu su  
omnis c  
propter  
miliavit  
formam  
in Sacra

8. S  
Patientia  
tribulati  
propter  
ctus est  
9. Si  
ctionis

aliàs à manu Dei elaboratorum : prout videre est in experimento tam multæ materiæ, quam improbi isti illusores, non in aliquos bonos usus aptificant, sed inferni tantum pabulum, & vasa in contumeliam faciunt. Rom. 9. 21.

6. Deliberatione opus non est multâ, in cuiusnam operarii manus te tradere debeas elaborandum? illud delibera, in quod, & quale opus, in quem etiam usum velis à Christo artifice conformari? vel si hæc deliberatio tibi implexa videtur (uti fermè satis est) remitte illam huius ipsius Sapientissimi Artificis Voluntati. Projice te in manus ejus, exactissimè omnia operantis Scientiæ, ac Voluntatis: & roga, ut exte, veluti ex informissimâ massâ, artifice suâ dexterâ, effingat, ac elaboret opus, & vas in honorem suum: simulque illud statim, ipse Artifex adhibeat ad illum eundem honoris sui usum, salutis verò tuæ fructum.

7. Si te Artifex tuus conformare volet in vas humiliationis, ac humilitatis, non tantum sub manu suâ Divinæ Voluntatis, sed etiam sub manu omnis creaturæ, esto contentissimus usu isto, propter amorem Artificis tui, qui Amore tui humiliavit seipsum, & ad formam servi, & ad formam mortui super crucem, & ad formam cibi in Sacramento.

8. Si te Artifex tuus elaborare volet in vas Patientiæ, & Crucifixi, & omnimode afflicti, tribulati, stultificati, amplectere conditionem propter Artificis tui similitudinem, qui pro te factus est victima crucis, & Patientiâ saginatus est.

9. Si te Artifex tuus efformaverit in vas dilectionis sui, & suorum propter se, ama hunc usum,

Handwritten notes on the right edge of the page, including the word "Sicut" and other illegible characters.





usum, & tota capacitate in eum convertere: teque superimpende Amori, & fatigationi, & exinanitioni, ad Exemplar Artificis tui, quod tibi proposuit in toto quidem se, at singularissimè in Sacratissimo Dilectionis suæ Regno, ac Mari, nempe in Sacramento.

10. Accede quàm creberrimè ad Artificem hunc: eique te ad omnem complacitam ipsi efformationem exhibe: sed exhibe re ipsâ, non solâ voce, aut sterili mente. Ah quoties, & quàm pridem, in artificis hujus manibus versaris, & necdum tamen in opus eo dignum, ei simile, placitumque efformatus es! Nunquid Artificis vitio? Non utique: at tuâ distortâ, rebelli, & ad omnem Christi formam continendam ineptâ, inconstantique voluntate.

11. Denique paciscere, & exhibe, Artifici paratam, atque etiam copiosam, condignamque pro elaboratione tui mercedem: Obedientia, ac facilitatis, Exaltationis, Laudis, Gratiarum actionis, Dilectionis, Visitationis, Venerationis, Imitationis, Susceptionis, Tractationis, Perseverantiæ.

### P R A X I S.

**O** Artificum Solertissime, ac Sapientissime <sup>JESU</sup> qui ut salutem nostram, Gloriam vero tuam opereris; in Sanctissimo Sacramento nobiscum presens manere, atque nostras Animas, Corda, Mentis, Voluntatesque, tibi in materiam industria, operationisque tuæ, seligere dignatus es; Ecce ego aliquantula informissime massæ portio, tuis manibus me subdo, & objicio: ut facias in me, de me, omni tibi placitum vas, ad omnem Voluntatis tuæ usum,

exemplar  
Sunt qui  
obrudun  
rum redi  
quod sapi  
conforma  
superimpe  
tisque tua

EY

Christi

1. Stat  
Sa  
Deum He  
venerare

2. Co

quam loc  
divitiis v  
Sapientia  
Medicum  
ut amant  
tias, ac in  
tate suâ a

morbosq  
3. Att

voces, qu  
ad se, &  
advocans  
concupisci  
mini. N  
qui de man  
sunt divit

exemplar

exemplarisque tui normam, & ad tui cordis gustum. Sunt quidem alii Artifices, qui se mihi efformando obrudunt: sed quaeso Domine, ne ego sub ullius eorum redigar potestate. Tu solus fac de me id omne; quod sapientissimæ Arti tuæ placuerit. Ego autem conformatus abs te, & tibi, totum me impendam, ac superimpendam, in mercedem Gloriæ tuæ, Voluntatiq; tuæ, cum auxilio robustissimæ Gratiæ tuæ.

## EXERCITIUM VIII.

*Christus in Eucharistiâ Rex ditissimus,  
Medicusque optimus.*

1. Statue te coram Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: in eoque IESUM Christum Deum Hominem præsentem agnosce, confitere, venerare.

2. Cogita hîc Dominum IESUM residere tanquam locupletissimum quendam, ac omnimodis divitiis vallatum Principem, eundemque simul Sapientissimum, ac Peritissimum, piissimumque Medicum, nec non in id unum semper intentum, ut amantium se, venientiumque ad se indigentias, ac infirmitates omnes, munificentiam, & pietate suâ aboleat, egestates ditet, invaletudines morbosque sanet.

3. Attende ad Divitis hujus, munificentissimi voces, quas ille ad omnes loquitur, invitans eos ad se, & ad utendum suâ munificentiam ac pietate advocans. Nunc enim ait; *Venite ad me, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Nunc verò: *Ego diligentes me diligo; & qui de manè vigilaverit ad me, inveniet me. Mecum sunt divitiæ, & gloriâ, & opes superba, & justitia.* Prov. 8.18.

R 4

Melior

*Melior est fructus meus auro, & lapide pretioso. In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii, & diligentes me, & thesauros eorum repleam.*

4. Consimili candore prædicat suam ad mendandum promptitudinem ipse, & ejus scriptura

*Lac. 7. 7. Ipse ait. Ego veniam & sanabo eum. De eodicitur: Omnes male habentes curavit, ut adimple-*

*Lac. 4. 4<sup>o</sup>.*

*tur quod dictum est per Isaiam Prophetam. Ipse infirmitates nostras accepit, & egrotationes nostras portavit. Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum: at ille singulis manus imponens curabat eos. Denique ipse est qui ad omnes ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

5. Jam tu esto vir videns paupertatem tuam, agnoscens & confitens infirmitatem tuam, quoniam non habitat in te, nec in domo tua bonum, sed universa Vanitas, mendicitas, infirmitas, cæcitas, stultitia, præcipitatio, malitia, peccatum, & denique infinitum inexhaustumque Nichil: Totus es nudus, totus miserabilis, totus malignus, totus morbidus, & ulceribus plusquam ullus Lazarus plenissimus. Insuper captivus es, tum peccati, tum diaboli, tum malæ tuæ Voluntatis, atque consuetudinis: pabulum etiam utriusque mortis, & inferni inferioris, filius ita à DEO refuga, & rejectus: hereditas, & hereditationis æternæ: Ideoque totus vilis, indignus, abjectus, in perditione sepultus.

6. Neque tu solus, aut unus talis, sed universa quoque cognatio tua: universa scilicet generatio humana, nec ad latum unquam à tuæ sortis participatione abscedit. Filii mortis sunt omnes, omnes peccaverunt, omnes reputati sunt

in vasa testea, vasa contumeliæ: quasi nihilum, & inane.

7. Ergo ini consilium, coge concilium: quære inopiæ tuæ subsidium, infirmitatibus medicinam, periculis auxilium. Vade, & tu, & Universitas hominum pergat tecum, ad Divitis Jesu magnam Domum, expone tuam propriam, & communem egestatem, revela infirmitatem, ostende vulnera & ulcera, confitere malitiam, mendica, exposce, efflagita, à ditissimo liberalitatem, & à piissimo sanitatem.

8. Extende manus ad sumendum, ad hauriendum, ad accipiendum quidquid voles, quidquid visibus tuis profuturum, vel ipse tu senties, vel quod magis ipse judicabit. Dives Jesus, idemque liberalis, dives & pius in omnes, *cujus dona Rom. 11. 29. sunt sine penitentiâ apud ipsum, qui sanat omnes infirmitates, & contritiones tuas in misericordiâ, & coronat in miserationibus, qui omni petenti se dat, & affluenter dat, nec improperat; Tantummodo accede, sume, & gratus esto.*

9. Frequentata, & festina accessum ad Divitem Jesum: neque moram facias accurrere ad fores magni medici Jesu: procrastinatione tempus ne perdidideris, potiùs illud redime, *& quodcunque Eccl. 9. 10. potest manus tua operari, instanter operare: ne fortè pertranseat Jesus benefaciendo & ditando omnem pauperem, & sanando omnem languidum: à te autem transeat subtristis, & subiratus, eò quod non potuisset, negligenter agente te, virtutes ullas facere in te.*

R 5

10. Amat

Handwritten notes on the right edge of the page, including the name 'SILVI' and various numbers and symbols.

10. Amat amari JESUS, fitit fitiri, cupit desiderari: & veluti pragnans beneficentis laborat, cum benefacere, ac misereri, hominum foecordiam non finitur. Sicut fons arefcit & peridum non emanat, abscondens aquas suas a non haurientibus, sic beneficium JESU ingenium, dum beneficia sua quod effundat non habet, quodammodo sterilefcit: non in se quidem ipso, in hominibus tamen: a quibus aufertur Regnum Dei, & misericordia ejus, datur autem genti facient fructus ejus.

11. Ama ergo ditari ab JESU: & certo certius tibi persuade, nihil te gratius, nihil ad palatum, gustumque diviti JESU facturum esse magis, quam si avidissimè, frequentissimè, ac si pravales assiduè, inque singula momenta, ad eum in Sacramento adieris: divitias, & sanitates, de thesauris, & apothecis ejus, tibi, tuis omnibus, totique humano generi haurire curaveris.

12. Recordare quid iste JESUS imperaverit olim servo suo: nunc quidem dicens; *exi cito Luc. 14. 21. in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, & debiles, & cecos, & claudos introduc huc. Iterum vero; Exi in vias, ait, & sepes, & compelle intrare ut impleatur domus mea, ut dimanet munificentia mea.* Itaque ille desiderat, ut omnes fruantur bonis ejus, repleanturque abundantia ejus.

13. Hoc ergo fac, vel unus cum omnibus, vel solus licet, attamen pro omnibus. Plenus est mundus mendicis, plenus languidis; Tu, vel solus, plenus es infinita mendicatum & egestatum,

tum, infirmitatum, & calamitatum, cæcitat-  
tum, & iniquitatum plebe: imple itaque hac  
pauperum turbâ domum Ditissimi, atque Piiissimi  
JESU, imple etiam hanc turbam opulentiâ bo-  
nitate, & pietatis JESU.

P R A X I S.

Rex divitiarum, & sanitarum JESU, qui in-  
star fontis, ideo redundas bonis tuis, ut iis &  
repleas paupertatem, & sanes infirmitatem omnem,  
omnium ad te venientium. Horum ego unus sum,  
et non solus sum, sed universi hominum populi me-  
cum, tales quoque sunt. Ergo accedimus ad te, to-  
tâ mendicitate, totâque morbositate nostrâ: quan-  
taquanta est, illam ponimus coram te, & illi sub-  
stantiam mendicamus, à tuâ in Sanctissimo Eucharis-  
tiæ Sacramento nobis expositâ Charitate. Miserere  
nostri ô Dives, ô Pie JESU: miserere ô divitiarum,  
sanitatumque omnium Deus JESU; reple pauper-  
tatem, & inanitatem nostram, sana infirmita-  
tem, & miseriam nostram omnem; ut omnes,  
omnium nostrâ dies inveniantur pleni, & firmi  
de te, pleni & firmi coram te, pleni & firmi  
propter te, pleni & firmi  
ipso Te.

EXER-